

LOGICÆ
Pars Secunda.

LOGICA APPLICATA.

§. 132.

Quemadmodum logica pura inchoatur ab hac positione: *ego cogito*; sic applicata exit ab hac adaucta: *ego cogito, ut individuum, sive ut ens humanum.*

In logica pura subjectum cogitans (animus) tantummodo consideratur, ut subditum originariis legibus quibus parere ipsum in operando decet; in applicata vero subjectum cogitans est animus humanus, in operando simul dependens à multis conditionibus empiricis; unde cogitata varias modificationes recipiunt.

§. 133.

Conditiones empiricæ, quas circa cogitandum multum valere satis experimur, cum hujusmodi sunt, ut tum restringant, tum adjuvent humanæ mentis usum; logica applicata quoque bifaria est, *doctrina elementaris, et methodologia.*

Doctrina elementaria expendit conditiones empiricæ, quatenus obesse possint humanæ cognitioni, hoc tamen fine, ut intelligatur simul, quomodo cavendum sit à noxiis illarum effectibus: methodologia vero docet, quantum ipse prodesse valeant, sive quæ sint adjumenta cogitandi, ut illarum ope perficiantur humane cognitiones.

LOGICÆ APPLICATÆ

Sect. I.

DOCTRINA ELEMENTARIA APPLICATA.

§. 134.

Cum doctrina elementaria duplicem finem sequitur, primum ut ostendat, quid detrimenti et pravitaris conditiones empiricæ inducere in humanas cognitiones possint; alterum, ut suggerat remedia, quibus salubriter utendum sit, ad emendandas cognitiones: profecto nihil impedit, quominus ob primum finem *pathologia*, ob alterum vero *therapeutice mentis* appelletur.

Mens esse infirma dicitur, quæ minus ad cognoscendum valet; laborare, cui quid insidet falsæ opinionis: sanata vero, cum liberata est ineptiæ persuasionis; et sana, cum minus erraverit iudicando, sive cum pollet intellectus, et ratio,

DOCTRINÆ ELEMENTARIÆ APPLICATÆ.

Cap. I.

PATHOLOGIA.

§. 135.

Cum objecta tantum cognoscimus, quatenus à nobis repræsentata sunt; nostra etiam, quæ de illis ferimus, judicia eorundem repræsentationibus diriguntur. Sed repræsentationes objectorum facile sunt ineptæ, nimirum identicæ diversorum, vel identicorum diversæ; quæ *speciem logicam* præbent: unde non raro enascitur falsum aliquod judicium, quod *erroris* nomine appellari solet.

Species logica est ansa quædam errandi, non error ipse. Ab hac discernenda est species *æsthetica*, quæ producitur eo effingendi genere, ut non imagines rerum absentium, sed res ipsæ cerni, ac nobis præsentem esse videantur. Quanquam æsthetica et fieri logica potest, si moveat intellectum, ut perperam judicet.

§. 136

Species logica maxime provenit à conditionibus empiricis, quæ vel *interna* sunt, vel *externa*, prout reperiuntur in nobismet

ipsis, vel extrinsecus accedunt; tum etiam à quibusdam modis, quibus intellectus ipse per se limitatur.

Conditiones internæ sunt sensus externus et internus, memoria, phantasia, vis reminiscendi, sic dicta idearum associatio, lingua, instinctus: externæ vero constitutio corporis educatio, societas, vitæ ratio, cœlum, victus, ordo, consuetudo etc: modi denique, quibus Intellectus ipse per se limitatur. naturalis imbecillitas defectus exercitationis, tenuitas attentionis, mala præcipientia.

Capitis primi

Art. 1.

De conditionibus internis.

§. 137.

Sensus, tanquam facultas immediate percipiendi, duplex est: *externus*, facultas immediate percipiendi ea, quæ sunt vel fiunt extra nos; et *internus*, facultas immediate percipiendi ea, quæ intra nos sunt vel fiunt.

Sensus, non minus internus, quam externus, prima elementa suppeditat, e quibus succrescit omnis cogitandi materies. Cognitiones igitur, partæ per sensus, non tantum ex legibus intellectus, sed etiam e regulis ipsorum sensuum dijudicandæ sunt.

§. 138.

Sensus *externus* ansa multiplicis erroris esse potest. Nam facile accidit, ut, quas offert, repræsentationes sint identicæ, ubi objecta sunt diversa, vel diversæ, ubi objecta sunt identica, nimirum vel mutata constitutione organorum, vel mutato rerum situ. Errores, inde nati, *sensuales, æsthetici, vitia subreptionis* dici possunt.

Sensus *externus* in repræsentando his subicitur regulis:

- a) In promptu sint organa necessaria, et quidem rite constituta, sive sana, qualia dare natura solet,
- b) Objecta sint idonee collocata, quibus organa, quantum satis est, afficiantur,

§. 139.

Sensus *internus* quoque, logicam præbere speciem solet, ob varias mutationes animi: quibus si vitiatæ fuerint objectorum repræsentationes, intellectus facile ad inepte judicandum impellitur. Errores, hinc orti, etiam *sensuales, æsthetici, vitia subreptionis* dicuntur.

Multiplicis generis mutationes, quas animus patitur, licet minus distincte percipiuntur, maximam vim habent in ipsas cogitationes. Quæ jam erant repræsentationes claræ et perspicuæ, eas obscuras et con-

fusas, et quæ representationes erant obscuræ et confusæ, eas claras et perspicuas reddunt; representationes internas, si vividæ sunt et fortes, assimilant externis; non raro denique sic variant affectionem animi, ut de uno eodemque objecto judicia quam maxime opposita ferantur.

§. 140.

Sensus internus, cujus efficientia latior est, quam externi, non tantum repræsentat objecta, sibi propria; sed etiam asservat representationes, modo habitas; easdem quadam claritate repetit, atque, dum redeunt in conscientiam, pro talibus agnoscit.

Sensus externus ea sola, quæ jam adsunt, repræsentat; et, repræsentanda quod attinet, restringitur ad illa, quæ immediate sunt data, internus simul porrigitur ad illa, quæ olim data; et pro talibus nunc demum agnoscenda sunt. Inde vero non singulares prodeunt facultates animi, sed varia efficiendi genera, quibus sensus internus vim suam exserit,

§. 141.

Sensus internus, dum asservat in se repræsentationes, ut ad tempus redire in conscientiam possint, *memoria* dicitur. Quæ cum difficilis est, vel infida, permutat repræsentationes, vel tam paucas refert, ut, objecta eadem sint an diversa, minus

discerni queat. Unde multiplex error circa personas, res, tempora et loca.

Memoriæ duplex virtus est, *facile percipere et fideliter continere*. Ad facile percipiendum simul requiritur *amplitudo* ipsius memoriæ, ut multas magnasque representationes capiat; et ad fideliter continendum etiam *tenacitas*, ut representationes diu et firmiter asservet. Quanquam hæc omnia raro conjuncta sunt: nam sæpe accidit, ut *ampla* et *facilis* memoria fide, ac tenacitate careat.

§. 142.

Sensus internus, cum pristinas repræsentationes certa quadam claritate repetit, atque in novas transformat, *phantasia*, sive *vis imaginandi* vocatur. Eam *reproductivam* dicunt, vel *productivam*, cum pristinas repræsentationes, quales erant, conspicua quadam claritate renovat; vel ex datis repræsentationibus ope combinationis per se novas efformat. Utræque si debilior est, vel vivacior; speciem logicam sæpius præbet: errores, inde natos, *imaginarios*, vel etiam *vicia subreptionis* appellare licet.

Si debilior phantasia reproductiva; imaginem ob-
jecti, jam ante percepti, tam obscuram reddit, et
confusam, ut multa sint, ad illam pertinentia, quæ
penitus desiderantur; si debilior productiva; intel-
lectus efficacia et vigore caret, conditionibus neces-
sariis, sine quibus proficere in cognitionibus non

potest. Si vivacior reproductiva, vel productiva; repræsentationes instauratæ, vel jam procreatæ eandem vim, quam repræsentationes pristinæ, vel perceptiones externæ, in animum habere possunt; quare inter se facillime commutantur.

§. 143.

Sensus internus cum pristinas repræsentationes, quæ redeunt in conscientiam, quales sunt, pro talibus agnoscit, *vis*, si-ve *facultas reminiscendi* vocatur. Hæc præbere speciem duobus modis potest, cum repræsentationes pristinæ non erant satis claræ et perspicuæ, ut alte firmiterque hærent animo; vel cum illarum impressiones longinquitate temporis ita labefactatæ sunt, ut perturbatæ, vel multum distortæ in conscientiam redeant.

Repræsentationes pristinæ, nisi perceptio fuerit repetita, in conscientiam solummodo redeunt, vel per memoriam, vel per phantasiam instauratæ. Quam obrem si languor est in his efficiendi generibus, languat et ipsa facultas reminiscendi necesse est.

§. 144.

Idearum associatio, qua præter voluntatem excitantur plures repræsentationes, atque inter se conjunguntur, movere speciem

potest, cum repræsentationes sic excitatæ, sic inter se conjunctæ, nullatenus ad unam cogitationum seriem, logice legitimam integramque pertinent: unde præbetur ansa errandi, sive permiscendi, vel commutandi heterogeneas repræsentationes.

Sic dicta idearum associatio, quæ nec voluntaria, nec logica est, habet leges quasdam, ex relationibus temporis, ejusdem vel propinqui, alicujus similitudinis, vel magnæ dissimilitudinis commodatas; sed incertas et dubias, cum repræsentationes, inter quas, vel inter quarum objecta ejusmodi relatio est, non semper alia per aliam excitantur.

§. 145.

Lingua, cujus usus maxime salutaris ad tenendas, ad communicandas cum aliis cogitationes, in cognoscendis rebus summo adjumento est. Sed inde frequens etiam species et error, ob multitudinem sermonum et varietatem; ob difficultatem eos penitus noscendi; ob necessariam eorundem inopiam; ob symbolorum denique multifariam significationem. Errores, ex hoc fonte manantes, non inepte *symbolici* vocantur.

Symbola, sive signa, quibus uti licet ad exhibendas cogitationes, sunt vultus et gestus: at oculis tan-

tum inserviunt. Præterea soni; sed famulantur auribus. Soni vero sunt vel inarticulati, naturales modi prodeuntis affectus, quales pecori simul et infantibus tribuuntur; vel articulati, nimirum voces, quibus propria constat loquendi ratio, maxime naturalis et artificiosa. Voces etiam, quæ facile aures prætervolant; figuntur ope literarum, ut in oculos pariter representationes incurrant. Præclara quidem ad-jumenta cognitionis; sed non semper satis accommodata menti loquentis, vel scribentis, nec audientibus vel legentibus omnino plana et aperta. Unde ambigua sæpe vocabulorum significatio, ac frequens controversia circa cogitationes aliorum, et sensa.

§. 146.

Instinctus, à natura quidem salubriter inditus, cum alienis subjectus est determinationibus empiricis, multa ponit obstacula rectæ non minus, quam perfectæ cognitionis. Quæ paulatim existunt inclinationes prævæ, facile trahunt imbecillam mentem, ut ferantur judicia, maxime indigna, et absona. Errores, ita natos, non incongrue *pathologicos* vocant, ab ipso fonte, ex quo dimanant.

Dum labefactatus est amor recti; sensim torpescit studium veri. Siquis captus est aliqua cupiditate; non rationem sequi solet, sed impetum, quo fertur. Infirmitas mentis ab impuritate animi non facile sejuncta.

Capitis primi

Art. 2.

De conditionibus externis.

§. 147.

Constitutio corporis magnam vim habet in cognoscendi facultatem; cui succurit quidem, sed etiam nocet. Varia est ex temperatura, quæ jam vigorem, jam desidi- am habet. Itidem varia ex ætate, sexu, valetudine: hinc varium et sentiendi et judicandi genus. Non mirum, eandem domum, eundem thalamum idemque sub- jectum à se judiciis ita dissidere, ut fre- quens fiat erroris locus.

Phlegmaticus et cholericus; juvenis et senex; mas et foemina; æger et sanus quantum sæpe dissentiant de una eademque re, satis superque constat. Idem homo, nunc correptus morbo, de voluptatibus, for- tuna, sanitate longe aliter judicat, ac solitus est, diuturna incolumitate fruens.

§. 148.

Educatio quasi parens est humanæ vitæ. Recta caput quidem virtutis et sapientiæ; mollis vero, quam indulgentiam vocant, nervos omnes et animi et corporis intrin-

git. Inde omina ducuntur futuræ humanitatis; et quæ demum sunt cogitationes et sensa, ex illa tanquam principio deduci solent.

Siquis destitutus fuerit cultura ingenii; si tener imbutus vanis superstitionibus, et anilibus fabulis; si corruptus illecebris vitiorum, et cupiditatum lenociniis; consequens est, ut omnis illius vita, fraudibus, fallaciis et erroribus redundet.

§. 149.

Societas ecclesiastica est, civilis, privata. Quæ cum præceptorum et rituum, legumque et morum communionem habet, mentes hominum facile inflectit, ut eundem, licet falsum, teneant judicandi modum.

Inde servile quoddam genus imitationis videtur existere, quod communem efficit normam et actionum, et judiciorum.

§. 150.

Vita ratio, sive *vita rustica* est, urbana, civilis, militaris, solitaria, religiosa. Cujuscunque sit nominis, singulare quidquam et proprium servat, quo intellectus hominis, ut ipse homo, distinguitur. Mentem quasi vinculis constrictam tenet,

ne libere vim suam exserat, quantum ad recte judicandum satis est.

Questiones multæ, si moventur inter homines dissimilis vitæ, oppositas responsiones habeant: quod indicio est, vivendi generi et quoddam judicandi genus, ut ut ineptum, pertinaciter adherere.

§. 151.

Cælum et victus, insalubria non minus, quam salutaria, primum quidem in corpus, tum quoque in animum valent. Uti salutaria intellectum agilem promptumque ad cognoscendum efficiunt; ita insalubria opprimunt inertia et torpedine, ut, quod inest virium, minus intendat, quam opus est ad consecranda vera, vel relinquenda falsa.

Coeli et victus tanta noseitur efficacia, ut inde apud gentes laus humanitatis et sapientiæ, vel barbariæ et ruditatis infamia partim certe repetenda sit,

§. 152.

Ordo, dignitas, opulentia, et quæ sunt his contraria, ignobilitas et pauperies, intellectum duro imperio premit. Quam varia sunt illius discrimina, tam varia iudicia esse solent. Uti ordo quodammodo

videtur oppositus ordini; sic ipsa judicia non raro sibi opponuntur.

Ista judiciorum discrepantia, cui quid erroris inest, cum à dissimilitudine affectuum, tum maxime à studiorum diversitate proficiscitur.

§. 153.

Consuetudo, quæ non scholas minus, quam officinas regit, sæpissime intellectui se ducem et auctorem præbet: qua nihil efficacius est ad depravanda judicia de illo, quod pulchrum est et turpe; quod decorum et indecens; quod utile et noxium; quod laudabile et inhonestum.

Consuetudo in disciplinis philosophicis jam diu plurimum nocuit, constricta teneas philosophorum ingenia, ut pervulgatam, licet ineptam, tenerent viam, cum multo rectior et planior pateret.

Capitis primi

Art. 3.

De modis , quibus ipse intellectus
per se limitatur.

§. 154.

Intellectus, præter conditiones internas et externas , alia offendit impedimenta veri, et incitamenta falsi. Ipse in se se non parum limitationis habere potest, ut ad recte judicandum minus idoneus sit; ut ad errandum facilius impellatur.

Intellectus sæpe aberrat à vero, quia vel à natura imbecillis, vel inexercitatus, vel minus attentus, vel justo præcipitior est.

§. 155.

Imbecillitas naturalis inest humano intellectui, si, quæ sunt repræsentandi et cognoscendi leges minus ipse percipiat; vel si quas leges perceptas habet, earundem ignoret usum, ut ne regulis quidem, sat numerosis et clavis, juvari possit.

Quanquam, præmatura sæpe hac de re opinio est: etenim quæcumque sterilis videatur intellectus; hujus

tamen, ut agro, assidua cultura multum fertilitatis accedit.

§. 156.

Intellectus, ut ut vigeat et polleat, si defecerit *exercitatio*, ad operandum minus est expeditus. Dum viger ac pollet, est quidem promptior ad ferenda judicia; sed non ideo liberior erroribus; imo ad errandum proclivior. Idem patitur malum, quod audentis, sed inexercitati lingua et pedes: titubat, labitur.

Inepte igitur faciunt, qui logicam naturalem, tanquam una sufficiat, arrogantius extolunt, in contumeliam artificialis, quæ non tantum planiores reddit cogitandi leges, sed ipsum intellectum exercet applicandis legibus, ac præcipiendis modis, quibus eadem adhibere liceat.

§. 157.

Intellectus, licet exercitatus et vigenis, si caret *attentione*, facile ad falsa delabitur. Cum distrahitur in plures partes, ut nolit, ut nequeat colligi; cum non desigitur in objecto, quod præprimis considerandum est; tum, quæ repræsentationum sit vera relatio; quæ deceat forma iudicii, minime observatur.

Quæ sunt alienæ curæ, et alieni labores intellectum facile ayocant ab objecto, de quo juvat studiosius disquirere. Turba quoque multum officit. Infestissimi affectus sunt: præeunt intellectui, et, quid ipse judicet, tumultuosius imperant.

§. 158.

Præcipitantia, festinatio quædam improvida et cæca, errorum fœcundissima mater est. Dum enim extemplo judicatur, anrequam cogitata sit ratio sufficiens, ad judicandum impellens; præsentissimum errandi periculum est. Hæc mala prope-rantia in commune adeo nocet, ut non modo rudium, sed etiam literatorum animos in turpissimos errores inducat.

Id genus vitii quanquam ex vigore quodam, vel ex levitate, aut etiam ex confidentia non raro provenit; maxime tamen ex importunitate affectuum, qui sunt cuique familiares, suam originem ducit.

§. 159.

Errores, undecunque proveniant, omnes sunt intellectus et rationis, sive facultatis, quam *judicium* vocant, atque falsa judicia sine ullo discrimine appellantur. Cum his vero confundenda non sunt illa judicia, quibus *opiniones præjudicate* nomen est.

Errores semper falsa judicia sunt, licet pro veris habita; opiniones præjudicatæ non item, licet rationes careant, externis adjunctis solummodo innixæ. Cum vero ejusmodi adjuncta facillime speciem præbent, unde frequentius existit error; mirum non est, opiniones præjudicatas pro falsis judiciis haberi, atque errorum nomine appellari.

§. 160.

Errores denique, si nascendi modum attenderis, vel *originarii* sunt, vel *derivativi*, cum proxime ex sola specie, vel errore prævio nascuntur: si efficientiam animi, ad quam referuntur, *theoretici*, vel *practici*, in cognoscendo, vel agendo positi.

Errores originarii etiam *principales*, sive *radicales* dici solent, si nimirum judicia sunt universalia, e quibus alia falsa judicia deducuntur. Si quæris de ordine, quo impugnandi sint hujusmodi errores: prudentius sane, principales impugnare prius, quam derivativos; salubrius quoque, practicos prius, quam theoreticos, nisi ex his illi prognati sint.